

176

358, 2



271

DIATRIBARUM
DOMESTICARUM
DECAS VIII.

Quia

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi JCtorum Ordin
nis in Academiâ Salanâ,

PRÆSIDE

JOHANNE SCHRÖTERO,
OSTERBURGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

JOHANNES ONOFRIUS HINDEROFFEN
NORIBERGENSIS.

Addiem XVII. Decembr.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.

VIRIS

Nobilissimis, Amplissimis, & Clarissimis

D N. TOBIAE HALLE RO
von Hallerstein/ in inclyta ac celeberrima Noriber-
gensium Rep. monasterio D. Clarae sacro,
Præposito meritissimo:

D N. PAULO VOLCKAMERO,
nobilissimi ibidem judicij assessori dignissimo, atq; sububio
Werdeni Prefecto vigilantissimo:

D N. CHRISTOPHORO SCHLAUDERSPACHERO,
eiusdem laudatissimæ Reip. à secretis duumviralibus
maxime digne

Dnn. Cognatis, Patronis & Fautoribus suis devotâ
pietate aeternum prosequendis

Hanc Disputationum juridicarum
Decadem

IN { Perpetua observantia symbolon,
Certæ gratitudinis monumentum
Debitiq; Honoris tenuies ov

L. M. Q. Ponit, dicat, sacrat
Johannes Onofrius Hinderoffen, Resp.

An Politissimum & Doctissimum
DN. RESPONDENTEM
meum dilectissimum,

Mercator Indos currit ad ultimos
Nec extimescens præcipitem Africum,
Nec fata fluctus comminantes
Dummodò divitias reportet.
Est, qui torosi roboris impetu
Fifus palæstrani non fugi; Isthmio
Labore clarari expetiscens,
Ferreq; propositum brabéum,
Se statur alter militiam impiger.
Periculosa plenum opus aleæ,
Nec toxicō illitas sagittas
Flamivomosque globos abhorret.
Sed ô beatum ter magis & quater,
Amussitatâ qui in dôle præditus
Exercet artes, ingenique
Munera divitiora quærerit!

Illum

Illum nec atrox impetus hostium,
Nec classicum voce horrisonâ excitat;
Non membra cæstus defatigat;
Mille caret pelagi periclis.

Ergò Sophorum docta volumina
Voivit revolvit, dum sapientiam
Rimatur abstrusam profundè,
Divitiasq; animi perennes
Agnosco qualem te quoque fervide
O N O P H R I amator juris & artium
Jam quippè gnavus ad palæstram
Mascula & alta animositate.

Descendis, armatus Sophiæ ægide
Tectusq; achilléo latus undiq;
Scuto, æquitati ferre promptus
Subsidium, atq; subire quidvis.

Alacritatem gratulor hanc tibi,
O grande mœstis præsidium reis
Future, quem pennâ superstes
Fama feret metuente solvi.

M. Daniel Stahlius.

DECAS IX.

185



DIATRIBARUM DOMESTICARUM.

DECAS NONA.

RESPONDENTE

JOHANN E
ONOFRIO HIN-
DEROFFEN NORIBER-
GENSI.

QUESTIO I.

An poena crucis, qua fures hodie afficiuntur,
sit justa?



Unquam recta ratio, qua dicti-
tat, neminem cum alterius injuria locuple-
tandum, l. 14. de condic. indeb. l. 206. de
R. f. omnes q̄ scire jubet, quod suum non est,
hoc ad alios modis omnibus pertinere, l. ult.
C. unde vi: tum etiam naturalis turpitudo,
qua unumquodq; vitium l. 42. de V.S. cum primis verò furtum
comitatur, l. 1. §. fin. de furt. §. 1. Inst. de oblig. qua ex delict. ef-

Cc

fre nem

DIATRIB. DOMESTICAR.

186

frenem hominum petulantiam à furandi libidine cohibere debbat: Ea tamen est quorundam audacia, ut nullo honestatis amore, nulloq; turpitudinis timore intra repagula contineri possit, quin pleno erumpat nisi, omnesq; intendat nervos, ut res aliena industria partas, proprias faciat Nov. 72 pr. Hinc ne paulatim gliscerent malitia, l. 38. de R. V. tam jure divino. Exod. 22. vers. 1. quam civili furto certa pœna præstituta. §. pœn. 5. Inst. d. t. ut ejus metu pravi à furandi libidine deterrentur, l. 27. §. 4. de pœn. nec ad maleficia temere proruarent. l. 14. C. de pœn. Et quanquam omnis pœna modicè est infligenda. N. 134. c. ult. ne aut clementia aut severitas gloria affectetur, l. 11. pr. de pœn. tamen quia malitia hominum ad plenum prohiberi non possunt, c. hac ratione. 31. q. 1. interdum en se secundum est, quod corrigi nequit, l. 7. C. ad l. Fab. de plagiari non quod augmentis pœnarum bonus magistratus gaudeat l. ult. pr. C. de Episc. & Cler. quando scilicet multis personis gravantibus exemplo opus est, l. 16. in ff. d. t. de pœn. Idem nostro seculo in furto accidit, quod cum adeò frequentaretur, ut solita pœna ad illius cohibitionem non sufficeret, ea fuit exacerbanda & in capitibus supplicium vertenda: quod num licet factum, inter se certant juris Doctores? Nos constitutionem illam Carolinam de furibus suspendendis p. h. O. art. 157. & seqq. in suis terminis optimam i ratione defendemus. I. Quia salutem reip. (qua & suprema lex esse debet) tueri, nulli magis convenit, quam C. & sari, l. 3. pr. de off. præfect. vigil. Nov. 89. in epil. Qua autem ratione & quibus mediis id fieri oporteat, docet Ulp. in l... §. 1. de f. & f. metu scilicet pœnarum, & premiorum exhortatione, c. 1. dist. 4. Sed definitio pœnae dependet ex authoritate imperatoria, l. 244. de V. S. eiq; soli

refer-



vatur. l.1. §.4. ad SC. Turpil. Magnam igitur oportet fuisse rationem & evidentem utilitatem, que optimum Imperatorem commovit ad mutandum jus, quod diu & quum visum est, l.2. de constit. princip. que ratio, licet nos lateret, l.20. de Ll. tamen pro & qua à nobis habenda esset, l.12.. §.1. qui & à quib. man. II. Quia lex boni Principis habetur pro lege à Deo tradita l.2. de Ll. quam propterea etiam adorari vult Imp. Justinianus in l.2. §.19. C. de VJ E. Hinc etiam magistratui & ejus mandatis obtemperare jubemur non tantum Rom. 13. vers. 1. & seqq. sed etiam l.2. de J. & J. III. Quia & olim in jure divino & civiligenus pœna propter certas quasdam circumstantias fuit mutatum: illo quidem Exo. 22. vers. 1. ubi etiam privato conceditur potestas occidendi furem nocturnum: quanto magis igitur hoc ipsum licet magistratui, qui propterea gladium gerit, ut malos coercent: l.3. de Jurisdic. 2. Sam. 12. ubi furti pœna statuitur capitalis, que tamen quondam erat pecuniaria; hoc vero per l.1. pr. de abigeis, l.un. Cod. de superexact. Hoc enim libenter concedimus, esse prius tentandum, an fur pœna quadam civili ad frugem meliorem redigi possit. Sed quid si ad ingenium revertatur? exemplū statuendum erit, quo alij deterreantur, l.31. Depos. IV. Et quæso, quæ tandem poterit hujus pœna esse iniquitas? An quia non est proportio inter delictum & pœnam? Dicimus optimam esse & qualitatem. Nam ut taceamus, quantis laboribus & quam multis casibus patrimonium & facultates quarantur l.10. C. arbitr. tut. ut non immerito alter sanguis hominis dicantur: sufficit quod crimen sapienter iterant, & iterando autoritatem Principis, eludunt, quod per se insigni pœna dignum est, l.9. de Jurisdic. tum etiam quod distinctionem

dominiorum turbant, l. 5. de f. 5 f. adeoq; remp. non tantum
 pigritia sua offendunt, Nov. 80. c. 4. § 5. sed & furandi astu-
 tia se per numerò inquietant. V. Cui accedit, quod omnes leges
 scire debent, l. 7. pro empt. ita ut ijs vel obtemperent, vel pœnis
 sese subjiciant, l. 7. de Ll. Quare cum pœna hac præfixa ne sic
 quidem à vetito furto abstineant, sua se spontè cruci subdunt,
 l. 34. de jur. fisc. & non habent quod querantur, cum volenti
 non fiat injuria l. 9. §. 1. de acq. plur. l. 1. §. 5. de injur. l. 145. de
 R. f. VI. Quia pœna furcæ etiam apud antiquos fuit in usu,
 l. 28. §. 10. de pœn. l. 6. ad l. Jul. pecul. Ex quibus omnibus sic col-
 ligimus: Quæcumque pœna facit ad custodiendam salutem
 reip. ab ipso Deo quodammodo præscripta est, juri divino non
 refragatur, sed saltē subordinatur, & aqualem obtinet pro-
 portionem, ipsi reo sua voluntate infligitur, nec est nova; illa
 nec rationi nec æquitati repugnat. At pœna patibuli est hu-
 jusmodi. Ergo. Vide ex Theologis Martinum Chemnit. par. 3.
 loc. com. in explicat. 7. præcept. Meissner. in sobr. Phil. seet. 2. q. 3
 ex f. Ctis Borcholt de pact. c. 2. n. 14. Harprecht. ad §. 5. Inst. de
 oblig. quæ ex delict. Menoch. 2. arbitr. cas. 295. n. 13. Dan. Mol-
 ler. 1. semestr. c. 37. Treutler. vol. 2. disp. 30. th. 3. lit. G. Wes. in
 par. ff. defurt. n. 15. inf. Dn. Arum. exerc. 17. th. 6. Gerhard.
 decad. 7. th. 1. Bronch. cent. 2. miscel. aff. 57. Hænon. disp. 18.
 th. 7. Diff. Dan. lib. 2. Eth. Christ. Zepper. in trac. de Ll. Mo-
 saic. Nevizan. in sylv. nupt. lib. 1. num. 69. Anton.

Matthæ. in disp. extraord de pœn.
 furt. & alii.



QUÆ-

QUÆSTIO II.

An tencatur furti is, cuius consilio tantum factum est furtum?

Quæstio tūm ob textuum apparentem pugnam, tūm etiam propter Doctorum mutuum dissensum anceps, & digna quæ sub Disquisitionis incudem vocetur. Et quamvis malitiam nec laudando, multò minus hortando augere oporteat, l. i. §. 4. de serv. corrupt. tamen ex nudo consilio adversus consultorem competere actionem furti negamus. I. per l. 36. pr. de furt. ubi qui servo persuasit, ut fugeret, et sic sui ipsius furtum faceret, l. i. C. de serv. fug. l. 60 ff. d. t. furti tamen non tenetur: in altero verò casu, in quo ope & consilio simul factum est furtum, actione furti convenitur, quia non est nudum consilium, ut & in §. i. d. l. II. in propatulo est, furtum non fieri sine affectu furandi, l. 37 de usucap. l. 53. de furt. nec etiam sine contrectatione, l. 3. §. 18. de acquir. poss. l. 52. §. 19 de furt. sed utrumque conjunctim requiri, animum scilicet cum facto l. 41. in f. ad l. Aquil. in tantum ut sola cogitatio furti faciendi furem non faciat, l. i. §. 1. de furt. nisi actus ipse accesserit, l. 225. de V. S. contra quam Sabinus teste Gellio lib. ii. noct. cult. putavit. At nudum consilium nullo facto vestitum, nihil amplius inducit, quam animum & temporis furandi, cui alter ille obsequi non cogitur l. 47. de R. f. l. i. §. fin. mand. Cum rei turpis nullum sit mandatum, l. 70. §. ult. de fidejuss. III. Atque hoc expressè decidit Imp. in §. interdum. II Inst. de oblig. quæ ex del. Certè, inquit, qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit, atq; hortatus est ad furtum faciendū non tenetur furti. Quia interpretatione

quid clarius & magis perspicuum tradi posset, sanè non vide-
mus. Quanquam pàssim eludi solet distinctione, furtum sub-
secutum sit, an minus, nam tum demum eum non teneri tra-
dunt adversarij, quando consilium non habuit effectum. At
verò quis non videt effugium hoc è diametro repugnare mēti
Justiniane? Loquitur enim in verbis præcedentibus de fur-
to, quod revera fuit factum, ibi: qualis est is, cuius ope & con-
silio furtum FACTUM est, eumq; dicit furti teneri, cuius ope
ET consilio factum est commissum; non verò eum, qui nudum
consilium dedit, non quod furtum non est factum, sed quia
nullam tulit opem, l. 62. de furt. l. 4. C. cod. IV. illud etiam lu-
benter admittimus, esse differentiam inter opem & consilium
ut rectè demonstrat Gæddæus ad l. 53. de V. S. atq; exinde de-
sumimus argumentum pro nostra sententia: Etenim si aliud
est consilium, aliud auxilium, sequitur quod si separatim con-
siderentur, non possint unum & eundem producere effectum,
quod tamen faciunt conjuncta, ut vere dici possit: Et quæ non
obsunt singula, multa nocent. Quemadmodum igitur nudum
auxilium absg; consilio non parit furtum: ita nec nudum con-
silium sine ope. Atque hinc licet sèpè à cōv. & t. posita in-
veniantur l. 6. de condic. furt. l. 50. §. 1. de furt. tamen quia
tanquam individui comites in omnibus penè locis sociantur
conjunctim sunt intelligenda. Conjugæ Rævar. de auct. prud.
c. 13. Pac. cent. 4. q. 24. Don. 15. comm. c. 29. Wes. add. §. interdū
& ibid. Hortens. Förster. part. 1. disp. ult. th. 5. Wegner. disp. 14.
th. 3. lit. C. Diff. Duar. ad tit. de furt. c. 5. Gædd. add. l. 53. de V.
S. n. 16. Mynsing. & Borcholt. add. §. interdum. Bronch.
cent. 4. aff. 73. Hænon disp. 18. th. 15. Gomes.
tom. 3. var. resol. cap. 5. num.
ultim.

QUE-

An condic^tio furtiva competat aduersus heredem
in solidum?

Magnum esse odium furum, vel inde quis colligere poterit,
quod non tantū in jure nostro civili pænales proditæ sūt
actiones, quibus obstringuntur: verū etiam rei persecutoria
quib. rem furto ablatam vel ab ipso fure, vel à quovis possidēte
repetere possumus. Et quod magis detestādā furorū turpitu-
dinē aperto stigmate notat, cōtra rationē juris receptū est; ut
rē nostrā & propriam per actionē in personam, condic^tionē
sc. furtivā, petere queamus §. 14. ves. plane. Inst. de act. De qua
inter se querunt J Cti, an etiā aduersus heredē furis cōpetat
in solidū? Quod quidē nos cū doctis aduersus doctos statuere
cogimur, subsequentib. fundamentis. I. Probat hoc textus ex-
pressus in l. 9. de condic^t. furt. que lex licet à quibusdā accipia-
tur de lite cū fure contestata, mera tamen conjectura est, qua
id statuitur, tū quod J Ctus. Ulp. nullam facit litis contestatæ
mentionē, tum et quod de ea cogitare nō potuit, qui in hoc ipso
cōdictionē furtivam ab actionibus pœnalibus separare voluit,
quod illa semper detur in solidū; hæ lite demum constata, l. un.
C. ex de l. defunct. l. 87. de R. J. l. 58. de O. & A. Et posito, legem
illam intelligendam esse secundum eorū opinionē de lite con-
testata: tamen id nostra sententia non officit, furtum n. ipsum
seper est pro litis contestatione arg. l. 23. de V. O. II. Hinc fur in
re furtiva perpetuā morā facere intelligitur. l. 8. §. 1. & l. ul. de
condic^t furt. cui mora hic effectus tribuitur à jure, ut obliga-
tionē debitoris simul & ipsius heredū re et perepta perpetuet
d. l. 23. l. 91. §. 3. & 4. de V. O. l. 5. de reb. cred. l. 30. § 1. de jure jur.
III. Sic inferimus: Oes actiones rei persecutoria sunt perpetua
l. 35. de O. & A. etiā honoraria, l. 1. §. 4. Si ventr. nom. mul. sed

condi-

DIATRIB. DOMESTICAR.

192

condictio furtiva cùm non sit pœnalis, sed rei persecutoria
l.7. S. ult. de condict. furt. perpetuatur l. 21. S. pen. rer. amot.
nihil igitur cause est, quò minus etiam detur adversus here-
des in solidum, qui ut in omne jus defuncti l. 62. de R. F. l. 24.
de V. S. l. 11. de divers. tempor. prescript. sic etiam in omnem
obligationem omneq; vitium furis succedunt, l. 11. S. 2. de publ.
in rem act. IV. Confirmat hanc sententiam. § fin. Inst. de ob-
lig. quæ ex del. ubi afferit Imp. conditionem furtivam in hoc
differre à rei vindicatione, quod illa detur tantum adversus
eum, qui rem possidet; hac verò adversus furem ejusve here-
dem, etiamsi non possideant. Ex quo sanè apparet, non requiri,
ut aliquid ex re furtiva ad heredem pervenerit: etenim
sive aliquid ex re ipsa, sive preciū rei pervenisset, semper possi-
deret arg. l. 32. S. 1. de R. V. l. 39. de usfr. Et sic falsum efficere-
tur effatum Justiniani, Et sufficere posset sola rei vindicatio.
Plura qui desiderat, adire potest Donell. lib. 15. com. c. 29. Treut.
vol. 1. disp. 22. th. 13. lit. C. Ant. Fab. 4. conject. c. 1. Hortens. ad
§. 14. Inst. de act. Dn. Arum. exerc. 17. tb. 9. Bronch. cent. 2. ass.
39. Wegner. disp. 14. tb. 4. Et post omnes Gaspar. Schifor degb.
lib. 2. ad Anton. Fab. tr. 1. quest. 9. Et Dn. Petrum Theord. disp.
crimin. 2. tb. 7. lit. E. Fachin. lib. 9. contr. c. 5. Hartman. Pistor.
lib. 1. quest. jur. 27. Quibus contradicit Cujac. 7. obs. 37. Et lib.
13. obs. 37. Vacon à Vacun. declar. 33. Vult. add. §. 14
F. de act. Et in J. R. lib. 2. c. 19. num. 30.

Marcus Lyckla. lib. 1. memb.
eclog. 8.



QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Raptor teneatur actione furti manifesti?

Tolerabilius est culpa delicti, quod clam perpetratur. c. nemo § 1.32. q. 4. quam quod in publico umerum erumpit. c. extenore ext. de tempor. ordin. quo cum consentit Paulus in l. i §. 24. de vi bon. rapt. non minimam esse differentiam, afferens, inter eum qui clam facit, & eum qui rapit: cum ille celet delictum, hic publicet, & crimen etiam publicum admittat. Hinc raptor improbior est fure simplici d. l. i. §. 10. l. 14. §. 14. quod met. caus. & durius etiam puniri solet. pr. Inst. de vi bon. rapt. De eo tamen dubitari videmus, utrum adversus eum dari possit & debeat actio furti manifesti, quæ est quadruplici? De quo questio quo minus nos dubitemus, sequentia faciunt. I. Contra furem manifestum, datur actio furti manifesti in quadruplum. § pœna. Inst. de obl. quæ ex delict. Raptorem autem non tantum esse furem manifestū, l. 80. §. 3. de furt. sed & furem improbiorem ex superioribus notum est: Quin igitur actio habeat locum, nullum est dubium, & quidem tanto minus, quanto majus est delictum rapina, quam furtum: in gravioribus autem peccatis, etiam pœna debet esse severior, l. ii. prin. de pœn. ut & quasi ptoportio. II. Idem hoc ostendunt omnes leges quæ generaliter affirmat, raptorem indistinctè nomine furti posse conveniri. l. 2. §. 26. de vin. bon. rapt. pr. Inst. eod. l. pen. de furt. l. 6. § pen. de re jud. ergo pro ratione furti modo tenebitur manifesti, modo nec manifesti. III. Idq; no tanto in jure civili, sed & canonico ita observari videmus, in quo non minus sub nomine furti Rapina continetur, & majoris pœna esse statuitur, visibiliter eripere, quam occulte auferre. c. pœnale: 14. q. 5.

Dd

Sed

DIATRIB. DOMESTICAR.


194

Sed dixerit quispiam, Raptoris conditionem in jure civili deteriorem esse, tantum abest, ut potius videatur potior & melior, dum scilicet tenetur actione tantum in triplum. Idque si verba edicti inspicias, negari non potest, ut in simili etiam colligit JCtus l.36. §.3. de hered. petit. contr. vero, si rem ipsam. Satis enim in eo hoc delictum est aggravatum, quod specialiter est notatum a praetore l.15. §.26. de injur. l.1. §.2. l.12. pr. de publican. Satis exacerbata poena est in eo, quod de uno delicto plures dantur actiones penales, ut est actio furti, legis Aquilia, vel bonorum raptorum l.2. §.26. de vibon. rapt. l.6. §.2. de rejud. Satis exasperata in eo, quod actio vi bonorum raptorum in quadruplum competit nulla adhibita distinctione, utrum deprehendatur in rapina, an non. pr. Inst. de vibon. rapt. quod tamen in furto secus sece babet, l.2.3. & 4. de furt. Neg. vero praetor suo edicto generalem penam voluit abrogare, vel quasi generi per speciem derogare: non enim est novum, ut posteriores leges retrahantur ad priores, l.28. de Ll. ita ut species quidem generi non sit adstricta, si ea ubi quis maluerit, interim tamen actor speciali hac actione spreta, potest eligere generalem, ut demonstrat Egid. Hortens. ad pr. tit. Inst. de vibon. rapt. Vide Treutl. volum. 2. disput. 30. th. 4. lit. C. Vult. & Borcholt. Wesenb. Heig. add. princ. Dn. Arum. exercit. 17. thes. 10. Bronch. cent. 4. aff. 74. Förster. part. 1. disp. ult. thes. 7. Hænon. disp. 18. th. 19. Wegner. disput. 14. thes. 5. lit.

B. Diff. Mynsing. add. prin. Ant.

Matth in not.

ibid.



QUE-

QUÆSTIO V.

An quis teneatur adversarium suum
fugere?

Cum natura inter nos cognitionem quandam constitue-
rit, certe nefas est, hominem homini insidiari, l. 3. de J. &
J. quod ipsum Cic. lib. 3. off. fatetur: Quod si ita est, inquit, u-
na continentur omnes, & eadem lege naturæ, idq; ipsum si ita
est, violare alterum lege naturæ probibemur. Verum lex illa
naturæ insita non tantæ est virtutis, ut cancellis suis homi-
num proterviam vel ira vel lucri cupiditate excitatam inclu-
dere queat, quin interdum recta rationis, jugū excutiat, aliis
que fatim metum incutiat: contra quos tamen naturalis ratio,
l. 4. ad l. Aquil. jus divinum, Exod. 21. vers. 11. Act. 7. vers. 24.
Canonicum, c. non inferenda. 23. q. 3. gentium & civile, imo
omnia iura sui defensionem permittunt, c. significasti extra
de homicid. vol. c. si verò extra de sent. excom. l. 12. §. 1. quod
met. caus. l. 45. §. 4. ad l. Aquil. Quid verò, An prius pedibus,
quam manibus salutem tentare quis teneatur, disceptatum
novimus? Negative haud in viti subscribimus, si scilicet in
fuga sit periculum vitæ metuendum: At si patet elabendiri
ma, consultius est, ut fugiat. I. Quia is demum non tenetur, l.
Aquila vell. Cornelia de sicarijs, qui periculum aliter effu-
gere non potest, §. 1. injuria. 2. Inst. de l. Aquil. At qui fugere
potest, ille etiam potest effugere. Ergò. Nec alicujus bili est
distinctio inter effugere & fugere: Licet enim concedamus,
esse inter ea quandam differentiam: tamen ea tantum est ta-
lis, qualis datur inter speciem & genus: verbo enim effugiendi
continentur omnes modi evitandi vitæ periculum, cui inclu-

DIATRIB. DOMESTICAR.

196

ditur fuga, tanquam species. II. Præterea legitima defensio tū
demūm præsumitur, quando quis aliter tueri se non potest, &
vim repellit non ulciscendi, sed defendendi a nimo. l. 45. §. 14.
ad l. Aquil. Sed qui stat, nec fugit cùm fugere possit, non tam
tuendi, quām ulciscendi animo stetisse videtur, tum etiam
vim pati dici nequit: Etenim vis significat necessitatem
impositam contrariam voluntati, l. i. quod met. caus. & talem
impetum, qui repelli non potest, l. 2. d. t. volenti autem hæc vis
infertur ei, qui non aufugit, cùm eam vitare possit. Et per cō-
sequens nec vim vi repellit, nec excusatione dignus est. Vide
Bocer. lib. 2. de bello & duello c. 10. n. 46. Hænon. disp. 1. thes. 13.
Diss. Bronch. cent. 2. miscet. ass. 51.

QUÆSTIO VI.

An sint quidam casus ab injuriarum actione im-
munes?

I Taputamus, atq; en verbis fides. I. MAGISTRATUS enim, et-
si injuriarum actione aliquando tenetur, tum scilicet quan-
do ut privatus vel fiducia magistratus injuriam fecit, l. 32. de
injur. tamen si jure potestatis aliquid factum est, ab actione
est immunis l. 13. §. 56. eod. Cujus rei rationem in l. propè se-
quente 15. §. 38. hanc reddit Ulpianus, quod is non teneatur,
qui corrigendi aut emendandi gratia quid fecerit: id quod de
bono magistratu, qui est vice parentum l. 4. C. de defens. civit.
l. 34. C. de inoff. testam. omnino præsumendum est, l. 33. d. t. II.
Part ratione nec PRÆCEPTORES hac actione tenentur disci-
pulis, si quid adversus eos vel fecerint vel dixerint corri-
gendi animo: est enim & illis correctio concessa, l. 5. inf. ad l. Aquil.
cas scilicet qua ad morum informationem spræcat l. 12. §. 3.
de admin. tut. qui quibusvis divitijs præponendi, l. 17. §. pen.

de ad.



de adopt. unde consequens est, nullam fieri injuriā ab illis, qui
 vitia discipulorū parentib. revelant arg. l. 18. pr. de injur. ut
 corrigantur l. 14. §. 1. de serv. corrupt. III. Neg. IRATUM teneri
 afferimus, tū quod incōsultus calor pœnā non meretur c. si quē
 §. notandum q. 3. tum et quod ratus animum injuriandi non
 habuisse videtur. (Est n. ira furor brevis, qui injuriā nō ad-
 mittit l. 3. §. 1. de injur.) sine quo nulla injuria fieri potest, l. 5.
 C. de injur. ut recte constitutū sit, ne id quod calore iracundiae
 vel fit, vel dicitur, ratum habeatur, nisi perseverantia appa-
 reat, judicium animi fuisse l. 3. de divort. & repud. l. 48. de R. J.
 IV. Huc referimus EBRIUM. Etsin. ebrietas omnium vitiōrum
 somes & nutrix est, c. ult. dist. 35. & delictum habet l. 11. §. 2. de
 pœn. tamen pœnam mitigat l. 6. §. 7. de re milit. cum interdū
 etiam sanctissimos superet & expugnet c. 8. dist. 35. in primis
 vero, quia ebrii nesciunt quid loquantur, c. sane. 13. q. 1. & bru-
 tis omnino assimilantur, quæ injuria sunt incapacia, l. 1. §. 3. si
 quadrup. paup. fec. dic. Hinc Imperatores, Theod. Arcad. &
 Honor. moti sunt, ut temulentum ab omnipœna liberum pro-
 nunciaverint, est n. ebrietas insania, l. un. C. si quis Imper. ma-
 ledix. & furor. c. venter. dist. 35. V. Deniq. eorum classi ad-
 scribimus eum, qui injuriā verbalem verbis repellit defen-
 dendī, non autem ulciscendi animo : Quemadmodum enim
 vim vi l. 3. de J. & J. l. 12. §. 1. quod met. caus. l. 45. §. 4. ad l. A-
 quil. arma armis repellere est licitum l. 1. §. 27. de vi & vi ar-
 mat. ita etiam verba verbis retundere concessum est ex pari-
 tate rationis, quæ vitæ & famam afficit, l. 8. §. pen. quod metus
 caus. ferendus enim est pudorem suum purgans l. 25. de procu-
 rat. & qualiter qualiter sese defendens l. 5. C. de metat. & epi-
 dem. l. 14. §. 6. inf. de bon. libert. Hackelm. disp. de injur. tb. 17.
 lit. H. Dissent. Facin. lib. 9. contr. c. 12.

QUESTIO VII.

An definitio actionis cōpetat etiam actioni in rem?

ACTIONEM realem ex domicilio actionum exterminandam multi putant propterea, quod definitio actionis ab Imperatore in pr. Inst. de act. & à Celsio in l. 51. de O. & A. proposita non conveniat, contra quos brevibus agemus demonstraturi, Actionē in rem non tantū verē esse actionē, sed & definitionē ei omnino esse congruam. I. & primum quidem quod attinet, probari id potest testimonio ipsius Imperatoris, qui postquam proposuit definitionem, statim suo more subjungit divisionē, omniumq; actionum duo genera constituit, quorum unum sit in rem, alterum in personam. §. 1. Inst. d. t. quod ipsum repetiſſe quodammodo videtur in l. ult. C. de her. & act. vendit. Huic calculum suum apponit Ulp. in l. 52. de O. & A. & in l. 178. de V. S. itidem actiones in duo genera dispescens. II. Porro viderimus, an definitio actioni huic quadret, id verò ita esse institutum Justiniani declarat: proposuerat enim agere de omnibus actionib. & non tantum que ex obligationibus, sed & de ijs, que ex dominio oriuntur, tractatum pertexere: ideoq; statim ab initio præmitit definitionem generalem, que nisi omnes includeret species, definitio vera non esset, nendum generalis dici posset. Deinde idem evincit factum Imperatoris, qui, ut dictum, definitioni subjunxit divisionem: aut igitur id divisit, quod præmiserat, aut aliud: posterius absurdum, ergo prius illud verum: si id, evidenter sequitur, quod includere voluerit definitioni actionem in rem, nisi quis ridiculè magis, quam verē statuere malit, actionem in personam in duas distinctas esse species, in actionem scilicet in personam & rem. Præterquam enim quod absurdum hoc est, sequeretur ad-

tur adhuc quod actio in rem simul cum actione personali es-
set definita. Nunc paucis ipsa verba ponderabimus, quae sunt
bujusmodi: Actio nihil aliud est, quam jus persequendi in-
judicio, quod sibi debetur. In hac definitione sive per Jus in-
telligas facultatem agendi juxta l. 6. inf. de neg. gest. tribuitur
ea à jure propter dominium, l. 23. pr. de R. V. sive formulam
agendi per l. 42. de furt. Et in hac certa fuit formula,
l. 1. princ. Cod. de R. V. Et notum est ex modo vin-
dicandi. PER SE QUENDI etiam verbum, non minus
actioni reali tribui potest, quam personali, l. 14. inf. de V.S.
ubi rem amississe dicitur, qui adversus nullum ejus persequen-
de actionem habet: Sic persecutio in rem, l. 28. de O. Et A.
Porro nec ei, qui rem suam petit, licitum est extra JUDICUM
propria auctoritate id facere, §. 1 Inst. de vi bon. rapt. l. 7. C.
unde vi. id quod itidem in actione personali obtinet, l. 13. quod
met. caus. l. 5. de acquir. poss. generalis enim ratio est, non esse
singulis permittendum, quod per magistratum publicè fieri
potest, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, l. 176. pr. de
R. J. Et ne quisquam sibi ipse permittere valeat ultionem l. 14
C. de Judæ. Et deniq; quod maximam habet litem, etiam per
actionem realem petimus id quod nobis DEBETUR: Quan-
tumvis enim Imp. in §. 1. de act. dicat, actionem realem insti-
tuì adversus eum, qui in nullo jure nobis obligatus est: id tamen
non ita simpliciter cum quibusdam est intelligendum, quasi
omnino non esset debitor, qui rem nostram possidet, sed respe-
ctive, quod scilicet nobis nihil debeat ex conventione. Debet
igitur nobis non quidem rem ipsam, que jam est nostra, Et
amplius nostra fieri nequit, l. 14. § 2. de except. rei Jud. l. 34. de
aur. Et arg. leg. l. 4. C. de contr. empt. sed si rem Inst. de leg. §.
Sic itaq; Inst. de act. sed rei possessionem, l. 15. §. 1. de conduct. in-

deb. ejusq;

DIATRIB. DOMESTICAR.

200

deb e j us q̄ restitucionem l.9.l.68. de R.V. Hinc verbum, DEBUIT, omnem omnino actionem comprehendere intelligitur, & sic etiam actionem in rem, quod & verissimum est: nam compensatio est CREDITI & DEBITI inter se contributio, l.i. de compensat. nihil tamen minus locum habet in actionibus in rem. l.fin. C.eod. adde l.7. prin. de publican. Videatur Gedd. ad l.10. numer. 4. & ad l.178. §. final. de V.S. Coras. 6. miscel. c.5. num. 8. Don. ad d. §. i. de act. num. 10. & ibid. Harprecht. num. 32. Förster. part. 2. disput. 1. thes. lit. E. Clud in tr. de sequestr. c.4. n. 29. & 30. Bronch. cent. 4. ass. 30. & Ægid. Hortens. add. §. i. Hænon. disputat. 19. thes. 1. lit. B. Diff. Hotom. ad d. §. i. & libr. 1. observ. cap. 17. & Cujac. libr. 15. obs. 12. Anton. Fabr. 20. conject 9.

QUÆSTIO VIII.

An dentur actiones mixtae, partim in rem,
partim in personam?

VIdimus hucusque quodammodo definitionem Actionis, nunc unicum hoc de divisione delibabimus, An scilicet dentur actiones mixtae? id quod affirmare lubet. I. per expressum textum in §. quædam actiones. 20. Inst. de act. ubi ita loquitur Justinianus: Quædam actiones mixtam causam obtainere videntur, tam in rem, quam in personam, idq; tribus exemplis explicat, actione nimirum fam. hercisc. communi divid. & fin. regnnd. Et licet non ignoremus §. bunc diversimode à diversis accipi, illud tamen subsistere nequit, verba hæc: tam in rem quam in personam, esse irrepe-

tita.



DECAS IX.

201

titia: fuisse enim hoc Imperatoris institutum, ut demonstraret istiusmodi mixtionem, tum ex praecedentibus, tum etiam ex subsequentibus coparet. Ex praecedentibus quidem, quia in illis egerat de mixtis actionibus ex concursu rei & pœna: bac igitur occasione cum recordaretur se super bimembrem proposuisse divisionem, atque implicitè quidem etiam de mixtis hisce actionibus egisse, voluit rem explicatus tradere: non quasi manca esset dichotomia superior (nam simplicibus intellectis, etiam facile cognosci possunt mixta, id quod ipsi adversarij concedunt) sed ut dilucidus diceret, quod tacite dixerat. Neque vero hoc insolens est Imperatori, exemplum si requiras, amandabo te ad §. in extraneis. 4. Inst. de her. qual. & diff. in quo duobus temporibus heredum qualitatem considerari, ait, cui mox addit, hoc amplius &c. & sic tria tempora (ut diximus) inquit considerantur, cum tamen de duobus in principio dixisset. Non absimile exemplum etiam videre est in l. 5. §. 1. de V. O. juncta l. 13. Cod. de contr. stipul. in illa enim simplicia ponuntur, in hac vero additur utiam mixtum. Ex subsequentibus idem liquet, quia in fine §. explicat, quo respectu judicia hæc sint in rem, scilicet eo, quo judex alteri adjudicat; rem & quo in personam, eo nimium, quo alter condemnatur in pecuniam, quamvis & alia ratio dari possit. Nec refert quod Imperat. utitur verbo VIDENTUR: Illud enim non semper importat dubitationem, argum. l. 21. §. 1. de recept. arbitr. ut & vocula EXISTIMO, in l. 89. de V. O. & PUTO in l. 50. in f. de jur. dot. Vide Coraf. ad l. 24. n. 13. C. fam. hercisc. II. Actiones basce in persona esse apud omnes in confessio est, quippe qua oriuntur ex obligatione & quasi contractu §. 3. & 4.

E c

Inst. de

DIATRIB. DOMESTICAR.

202

Inst. de act. esse autem easdem etiam in rem, apparet exinde, quod quemadmodum vindicatio sequitur quemvis possessorem, l. 9. de R. V. & quodammodo rem ipsam, l. 7. princip. de publican. sic & illæ, l. 1. fin. regund. l. 1. comm. divid. IIII. per l. 7. de her. pet. Facit nobiscum, Wesenbet. in parat. ff. fam. hercisc. fin. regund. Hotom. add. §. 20. enucleat. Donell. libr. 19. c. 2. lit. G. Giphan. add. l. 31. de O. & A. Bronch. cent. 2. ass. 10. Förster. part. 2. disput. 7. thes. 3. liter. C. Diss. Donell. ad d. §. 20 numer. 6. & libr. 21. comm. cap. 1. Vult. & Harprecht ad d. §. 20. Anton. Fabr. 20. conjectur. 10. Georgius Martinus contr. non contr. disputat. 4. thes. 4.

QUÆSTIO IX.

An Publiciana agens mentiatur?

Mendacium animi vitium est, l. 65. prin. de adul. edict. propter quod interdum non tantum datur actio adversus mentientem, l. 4. §. 1. in f. quod cum eo qui in al. pot. Sed etiam poena infligitur, l. 16. princ. Cod. de fid. instr. l. 4. C. de l. Aquil. ita ut ipsi mendaci potius obfit, l. 11. §. 1. de interrog. quam profit, l. 11. de natal. rest. Apparet hinc, quantoperè jus civile mendacia averetur tantum abest, ut ea vel inducat vel approbet, id quod alij ex actione Publiciana ostendere non verentur, dictantes eum, qui hac actione uti vult, oportere ut mentiatur, contra quos stabimus. I. Quia omne mendacium (quale nos

bicon.



hic consideramus) proficiscitur ex animo doloso, ut alter defraudetur. Sed qui Publiciana utitur, is nec habet animum dolosum, suo enim jure utitur l. 55. de R. J. nec animum defraudandi: non enim competit adversus verum rei dominum, l. ultim. de Publician. in rem act. nam qui suum recepit, ab eo nulla repetitio est, l. 44. de condic^te indeb. cum & exceptione dominii se tueri possit, l. 156. §. 1. de R. J. nisi bona fidei possessor causam habeat à domino, tunc enim dictam exceptionem elidere potest doli mali exceptione, l. penultim. de except. rei Jud. l. 72. de R. V. Sic etiam non datur bac actio contra eum, qui pari jure nititur, nam tunc possidentis melior est conditio, l. 9. §. 4. de Publician. in rem act. l. 128. de R. J. nisi vetus possessor rem possederit titulo oneroso, novus verò lucrativo, tunc enim illos causa prævallet, qui de damno fugiendo pugnat l. 8. de jur. & fact. ignor. l. 41. §. 1. de R. J. Patet hinc mendacium non esse in Publiciana. II. Porrò si fictio quedam hic accedit, uti negari non potest, ea non est hominis, sed juris: Prator enim usucaptionem nondum completam pro completa habet, etiamsi vel momento tantum possederit bona fidei possessor, l. 12. §. ultim. hoc tit. Quare si petit rem ab alio possessam, dicit se usucepisse, quoad effectum scilicet, non quod ipse hoc fingat, sed quod prætor ratione aequitatis naturalis motus, eum usucepisse statuat, quales fictiones juris habentur pro veritate, argumen. l. 7. de stat. hom. l. 1. §. final. de bon. possess. contr. tab. §. 5. quibus mod. patr. potest, l. 16 de capt. & postlim. l. 6. §. 6. de precar. l. 1. de adopt. l. 9. Cod. de postlim.

DIATRIB. DOMESTICAR.

204

Quod si igitur fictio hæc usucaptionis pro veritate est, mentiri nequit qui eanititur, sive dicat se quasi, sive simpliciter usucapisse, §. 3. & 4. Inst. de act. quamvis eum hac formula verbotenus uti, minimè concedamus, ut eleganter demonstrat Don. ad §. 4. Inst. d. t. num. 14. III. Dat ur enim hæc actio ex causis veris, quò pertinet bona fides, l. 7. §. 9. & ultim. de publ. in rem act. quæ tantundem præstat bona fidei possessori, quantum veritas ipsa l. 136. de R. J. & justa causa traditionis l. 3. §. 1. l. 13. princ. d. t. de publ. cuius genera videnda sunt in l. 3. §. 21. de acquir. possess. l. ultim. Cod. de R. V. l. 24. ff. eodem. & denique ipsa traditio, l. 1 princ. hoc tit. sive illa sit vera, ut rerum corporalium, sive fictarum, ut incorporalium, l. 11. princip. & §. 1. eodem. In quibus omnibus ipsi cum usucapione maximè convenit: quoad bonam fidem, l. 24. l. 32. §. 1. & l. 33. de usucap. quoad titulum, l. 27. d. t. quoad traditionem, l. 25. eodem c. sine. extra de R. J. in 6. juncta l. 23. de acquir. possess. Adde Donell. d. l. Oldend. class. 3. act. 3. pag. 325. Förster. pag. 2. disput. 3. thes. 4. liter. B. Mynsing. Vult. ad d. §. 4. illum n. 13. hunc. num. 21. Wegner. disput. 15. thes. 3. lit. D. Diff. gl. & Cujac. libr. 2. feudal. tit. tul. 20.



QUE-

QUÆSTIO X.

An ut actio Serviana competit, requiratur expressa de pignore conventionio?

AD securitatem contractuum adjuvandam, inventa sunt quædam subsidia, quibus vel in primis annumeratur pignus, l. 25. de R. f. in quo possessio quidem ad creditorem træfertur, sed dominium penes ipsum debitorem remanet, l. 35. S. ult. de pign. act. l. 98. de solut. cuiusmodi pignus in rem parit actionem creditor i. l. 17. de pignor. Verum enim verò cum rustici sive coloni plerumq; sint tenuioris fortune, ut fere præter instrumenta rusticani nihil habeant, quibus ad agriculturam quotidianam indigent, & propterea privilegiata sunt l. 1. C. de agric. lib. 11. receptum est, ut ea in prædium rusticum illata loco pignoris sint, ita tamen ut possessio non transferatur, ex qua conventione nascitur actio prætoria à Servio prætore Serviana dicta, idq; tum demum, si expressè fuerint obligata, non autem tacite. I. Quia illud tantum de illis est constitutum, quæ in prædia urbana inferuntur, ut sint tacite obligata; in rusticis autem prædiis cōtrà observatur, l. 4. in quib. caus. pign. vel hypoth. cum locatori fructibus satis cautum, qui ipsi tacite sunt pignori l. 7. pr. d. t. & mercedem estimatio- ne sua explere possunt, l. 61. S. 8. defurt. l. 3. C. in quib. caus. pign. Quid autem ibi sit CONTRA, patet ex l. 6. ff. d. t. scilicet nihil aliud quam specialiter. II. Quia serviana non competit de ijs, quæ in usum quotidianum habentur, l. 7. de pignor. nisi specialiter id convenerit. At ut jam dictum, coloni raro ha- bent bona extra instrumenta rusticæ, quibus quotidiè utūtur.

DIATRIB. DOMESTICAR.

206

Ergò. III. Quod idem confirmatur per id, quod tacita illa-
conventio semper prædicetur de inventis in prædium urba-
num, l.4.pr. de pact. IV. Facit huic l.s. C. de locat. ubi volun-
tate dominorum inventa in fundum conductum, hoc est,
prædium rusticum, obligari dicuntur: voluntas autem
ibi non tacitam, sed expressam significat conventionem, l.5.
§.1. in quib. caus. pign. V. Confirmat nostram sententiam §.
adipiscendæ vers. interdictum. Inst. de interdict. ibi, pepigis-
set, l.1. §.1. de Salvian. interdict. Videatur Vult. lib. i. 7. R.c.
34.n.11. Don. in tr. de pignor. c. 4. Connan. lib. 4. com. c. 6.
Arum. exerc. 18. th. 7. Borcholt. ad §.7. Inst. de act. Förster.
part. 2 disp. 3. th. ultim. lit. F. Hœnon. disput. 19 tb. 4.
liter. D. Bronch. cent. 2. aff. 72. & alij,
cum quibus hic quiesci-
mus.



CORO-

DECAS IX.

207

C O R O N I D E S .

I.

Ex delictis naturaliter obligamur.

II.

Furtivam rem in ædibus alienis quærere licet.

III.

Interdum rem meam propria authoritare possidenti surripere possum.

IV.

Servi interdum rebus , non personis annumerantur.

V.

Judex male judicans jus dicit , & ex quasi delicto tenetur.

VI.

Si demonstrari nequit unicus ille casus , de quo quæritur in §. a quæ . vers. sancè Inst. de act. textus correctionem admittimus.



INTROD.

P A R A -

DIATRIB. DOMESTICAR.

208

PARADOXA.

I.

Bonum opus quandoque pœnam meretur.

II.

Potest esse in micro arbitrio rei, an velit esse obligatus.

III.

Etiam cum mortuis contrahere possumus.



DIATRI-

00 A 6440



3

VDA

Retro ✓



FarbKarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White Black 3/Color

Centimetres
Inches

